


R. P. D.

ELEPHANTUTIO

Cracovien. Decimarum.

Lunæ 29. Novembris 1751.

1 PRæter Villam *Podolsze* possident Patres Ven. Conventus Ordinis Prædicatorum in Ducatu Zathoriensi alteram Villam nuncupatam *Przeciszovv*, cujus Parochus ductus exemplo Parochi Zathoriensis, prætensionem & Ipse excitavit percipiendi ex Bonis dictæ Villæ Decimam Manipularem ab omni *Grano*, *&* *Semine*, ultrà aliam quam vocant *Missalem in sexaginta Coretis Siliginis*, ac totidem *Avenæ* quolibet annò ab eo exigi consuetam, & quamquàm Decreto Curiæ Episcopalis Cracovien. prætensam Decimam sibi adju-

adjudicari obtinuerit; Per contrarium tamen illi non deberi in gradu appellationis definivit A. C, & postea S. Tribunal per Sententiam, præviis duabus Decisionibus, a *R. P. D. meo Bussio* promulgatam, quam similiter *confirmandam esse hodie Domini censuerunt*.

§ Momenta siquidem rationum expensa *in contemporanea Decisione* contrà Parochum Zathoriensem, eadem prorsùs urgent contrà Parochum Przecisżovviensem, cum æqualis utriusque sit prætensio. Et sane si super controversis Agris alter adest legitimus Decimator, nimirùm Scholasticus Cracovien., qui solus Decimam hanc Manipularem ab antiquissimo tempore exigit, & viceversa titulo Decimæ Parocho Przecisżovviensi præstantur dictæ Mensuræ Siliginis, ac Avenæ, sicuti probant Libri Beneficiorum, Retaxationum, Acta Visitationum, ac Testes a Patribus Dominicanis inducti, nullum profectò Jus Parochus ipse sibi potest asserere eamdem Decimam Manipularem exigendi: Juri enim, ac æquitati repugnat, quod eadem Bona duplici Decimarum oneri subiiciantur, ad *Text in cap. 2. de Decim.*, *Innocent. in cap. Cum non sit num. 1. de Deim.*, *Rota coram Coccin. decis. 362. num. 1.*, *& coram Ubag. dec. 25. num. 9.*, *& in recent. decis. 230. num. 11. part. 17.*, cum aliis adductis in *contemporanea Decisione* §. 3., quodque vetustissima Consuetudo, quæ certum statuit modum solutioni Decimarum, perturbetur, atque evertatur, contrà notata per *Gloss. in cap. Cum sint verb. consuetudinem de Decim.*, *& in cap. 1. de præscipt. in 6*, *Monet. de Decim. cap 5. quæst. 4. num. 95.*, *Rota in Farfen. Decimarum 10. Maii 1743* §. 4. *coram Eminentissimo Domino Cardinali Millino*, & firmat *contemporanea Decisio* § 4.

3 Opponendum nec erat, quod adducta Documenta immemorabilem consuetudinem non probent, Ultra quòd enim hujusmodi probatio assumenda non erat à Patribus Dominicanis, sed a Parocho petente solutionem diversæ Decimæ nunquàm perantea solutæ, per rationes in *dicta contemporanea Decisione* deductas §. 10., *& sequen.*; Nihilominùs omnibus insimul spectatis Documentis adductis, perfecta ex iis habebatur Immemorabilis probatio, quæ de cætero minimè necessaria visa fuit, ex quo non agitur de omnimoda exemptione a præstatione Decimarum, & sic de ipsa substantia Decimæ præscribenda, sed de modo, ac specie illius præstationis, ut videlicet Manipularis Decima soli Scholastico solvatur, Parocho vero tradatur in Siligine, ac Avena; Unde opus non est centenaria in præsenti cæteroquin probatissima, sed simplex sufficit quadragenaria, immò etiam minoris temporis Consuetudo, ut concordantibus adductis prosequitur *dicta contemporanea Decisio* §. 13.

4 Non obstat, imo contra Parochum Przecisżovviensem retorquetur Visitatio anni 1679., nam licet in ea expressa facta sit mentio

tio

tio controversæ Decimæ Manipularis, ibi = *Item habet Decimam Manipularem post Agros prædiales* = Expressio attamen hæc facta fuit relativè ad Juris communis dispositionem, secundum quam Decima spectat ad Parochum, non autem relativè ad redditus verè ab ipso perceptos, ut demonstrant alia subsequentia verba = *Quæ non datur ipsi, Jure tamen communi spectat ad Parochum*.

5 Haud attenta replicatione, quòd hujusmodi expressio = *Quæ non datur ipsi* = emissa fuerit de tempore, quo Patres Ordinis Prædicatorum, tamquam Parochi *Villæ Przeciszovv*, Curam exercebant, atque insimul ipsius Villæ odminium retinebant: Quoniam cum post recensita verba = *Quæ non datur ipsi* = alia subsequantur = *Jure tamen communi pertinet ad Parochum* = intelligere præstat, expressionem fuisse factam, attenta consuetudine de stylo non solvendi Parocho Decimam Manipularem, licèt ipsi de jure competentem. Idque subsecutus comprobavit eventus, eò ipso, quod post dimissam ab ipsismet Patribus administrationem ejusdem Parochiæ, nunquàm Parochi controversam Decimam exegerunt, prout exegissent, si verè, antequam Parocchia ad eosdem Patres pertineret, a Parocho d. Decima exigi consuevisset.

6 Hinc inutile erat ad examen revocare cæteras exceptiones ex parte Parochi Przeciszovvien. deductas, quoniam cum illæ eædem sint, quæ a Parocho Zathorien. deductæ, atque rejectæ in *contemporanea Decisione*, ad hanc propteraà *Domini* omnimodam relationem habuerunt.

Et ità utraque &c.

ROMÆ, MDCCLIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ
Superiorum permissu.

Druki wydane

dotyczące dziejów

różnych województw polskich

20.000